



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Contactus sacrorum, §. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

CAPUT II.

*Quis cultus sacris his vasis, & si-
milibus debeat,*

I PLura, quæ sparsim hac de re
suis in locis essent dicenda, i-
deo huc reducimus, quia, hic simul
ea colligere expeditius existima-
vimus.

Circa tria autem ejusmodi cultus
versari potest. Primo circa con-
tractum eorum, Secundo, circa lo-
tionem. Tertio, circa usum profa-
num; sive scilicet, quis utatur sacris
his instrumentis ad usum commu-
nem, sive quis communibus utatur
seu ea convertat ad usum sacrum.
Jam de singulis.

§. I.

Contactus Sacrorum.

2 CERTum est Primo, Calices, &
Patenas, quando vacua à sa-
cros

cris Eucharistiæ speciebus, sunt & illa omnia, quæ in ipsorum consecratione, Chrismate sunt delibuta, ut Ara, Agneique cerei, non debere, ex congruitate, nuda manu, immediatè, propter reverentiam, à laicis, & fœminis attingi: Attingere autem, citra contemptum non esse mortale, certum sit, immò, si subsit causa, nec veniale; quia non videtur res ex se gravis, ac propterea justæ causæ excusationem facile admittens. An sine causa sit veniale, mox à n.ii. disputabimus.

3. Dixi (vacua) nam quando continent sacram Eucharistiam, sicut etiam Pixides, Ciboria, & similia, quando eandem continent, contingi sine mortali non possunt, nisi à Sacerdotibus, & in aliquo casu, de quo alibi b diximus, à Diaconis,

a *Suar. de sacr. disp. 21. sec. 8.*

b *In opusc. de expediend. commun. c. 6. init.*

conis, ita requirente summa Christo Domino debita reverentia. Eucharistiam ipsam, Chrisma, & oleum sanctum tangere grave etiam quid est, unde a laicis, immo, & clericis non Sacerdotibus tangi hodie non licet; esto, aliud tulerint prisca tempora, quando sacra Eucharistia in manus fidelium, ab ipsis assumenda b porrigebatur.

4. Certum est secundo, alias vestes benedictas, quæ nec sacram Eucharistiam immediatè contingunt, nec Chrismate unguuntur, ut sunt Mappæ vestes Sacerdotales, &c. esse concessum e omnibus contingere. Idem puto de Sacris Sanctorum Reliquiis, idemque, quoad eas gestandas sentio licite enim eas thecis inclusas, & gestare, & transferre. immo, & in processio-

C 2 nibus,

a Bonæ in 1. decal præc. d. 3. q. 1. p. 4. n. 13. Azor tit. 1. l. 9 q. 9.
b Azor ib. q. 12. c Suar d. de sac. 81
Ge. 8. §. 3. exempl. Lay. l. 5. T. 5. c. 6. n. 10.

nibus publicis portare laicus potest. Ratio horum est, quia hæc, cum debita reverentia, exhibere non est ex se malum, & nulla in contrarium extat prohibitio, quod si aliquam adversarii afferunt, Castropalaus *a* aliique satis superque diluunt.

5. Cerrum est Tertio Pixides, Ciboria, Sphæras, seu lunullas, etiam si benedicta sint, posse *b* ab omnibus contingi sine ulla culpa, quando nondum sacram Eucharistiam continuerunt. Ratio est, quia ex una parte sacro Chrismate non sunt uncta, ut Calices, & Patenæ, & ex altera, reverentiam illam contactui sacrarum Eucharistiæ specierum debitam, nondum contraxerunt.

6. Idem

a Castrop. tit. 2. n. 8. d. 1. de Adoratione p. 6 n. 35. Sanchez lib. 2. in decal. 34. c. n. 26

b Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 22

6 Idem *a* sentio de Corporalibus, Pallis, & Purificatoriis, non solum quando ad sacrum usum nondum fuerunt adhibita, sed etiam quando post sacrum usum jam lota fuerunt. Ratio est, quia licet tunc non *b* sint iterum benedicenda, cum per solam lotionem benedictio ab eis non auferatur, atque adeo simpliciter nova non sint, tamen sic lota, moraliter, censentur, perinde, ac essent nova.

7 Sed quid postquam hæc, & dicta nu. 5. contigerunt sacras species, idque ante lotionem? Puto probabilissimum, *c* adhuc licere ea sine veniali ab omnibus contingi. Ratio est, quia ex una parte hæc unctioe sacra non afficiuntur, & ex alia non censentur, ex sacrarum specierum solo contactu, tantam dignitatem contrahere,

C 3

re,

a Laym. eod. n. 21. fin. *b* Bonac. de Enc. d. 4. qu. ult. p. 9. n. 24. aliq.

c Laym. loc. cit.

re, quantam ex unctiōe sacra contrahit res consecrata.

4. Dices. Posset evenire ut purificatorium v. gr. imbiberit aliquid Sanctissimi Sanguinis ex usu sacro, quare nefas esset laico illud contingere. Respondeo, id esse per accidens, & de raro, atque adeo non impedire libertatem illud contingendi. Sane eadem Purificatoria post Sacrum usum reponuntur sine delectu in Arcis, & Cistis profanis, cum tamen potuerit esse, ut ibi imbibitum adhuc remanserit aliquid sanguinis nondum exsiccati; sed ideo hujus non habetur ratio, quia per accidens est: & tunc Angelorum erit officium præsentiam inibi Christi Domini, humiliter, venerari.

9. Certum si Quarto, seu saltem multum probabile, Acolithos, imo & aliquo ex minoribus ordinibus vel etiam prima tonsura insignitos, posse a sacra vasa vacua, alia-
a sua. d. 81. de sac. sec. 8. §. 3. exemp. aliq.

aliaque dicta num. 2. extra Sacrum Ministerium contingere. Ratio est: quia jam sunt clerici, quorum officium est, ejusmodi instrumenta, aliqua tandem majori ratione tractare. Dixi (extra ministerium) dum enim celebratur Missa, solum constitutis in sacris, & Acolithis concedit a Suarez.

10. Dices, abstinendum esse etiam extra sacrum Ministerium, Acolithis à contactu sacrorum vasorum ob tres rationes, quas adducit Layman b Primo propter communem Doctorum sententiam. Secundo, propter Ecclesiarum praxim. Tertio, propter stylum Curiae Romanae, quae concedit consuratis vel in minoribus constitutis, posse sacra vasa contingere.

11. Respondeo ad Primam. Etiam si alius Doctor nobis non suppeteret, sufficeret Suarez pro mil-

C 4

le,

a *Suar ib. exc. non liceat. 2. dist. 234*
Et c. nullus 1 d. 4. b Laym lib. 5 tr. 5 c.
 6. n. 19.

le, prout loquitur Joan. Sanchez
 a Suarium commendans. Ad secun-
 dam, negat Suarez esse ejusmodi
 praxim. *Extra Sacrum Ministerium*
 (inquit) *quilibet minister Sacer, id*
est, quocumque minori gradu ordi-
natus non peccabit contingendo hæc va-
sa, ut colligitur ex c. non oportet
dist. 23. Et ex Vsu qui videtur hoc et-
iam extendere ad ordinaros tantum
prima tonsura. Hæc Suarez Vides?
 Layman pro se modo num. 10. dixit
 (propter Ecclesiarum praxim) Suarez
 pro se dicit (ex Vsu) cui fides ad-
 hibenda? sed certe, etiam si esset
 usus abstinendi à tali contactu, is
 nobis nihil obstarer, quia non
 constat esse introductum sub obli-
 gatione, ut in simili sæpe b cum
 Doctoribus argumentari solemus.
 Ad Tertiam, licentiæ à Sancta Se-
 de frequentissime conceduntur ad
 tollendos conscientię scrupulos,
 vel pro amplectentibus opinionem

con-

a Io. Sanchez in sel. d. 44. n. 41

b Infra l. 2. c. 4. §. 2. num.

contrariam, ut docent communi-
ter a Doctores.

12. Unum ergo superest hic de-
cernendum. An scilicet (citra ne-
cessitatem, & contemptum) sit
saltem veniale laico, vel fœminæ,
nuda manu, extra ministerium sa-
crum tangere Calices, & similia
dicta num. 2.

Saltem esse veniale, docent pro-
babiliter b plures: Ego libenter
assentior opinioni c Soti, Bartho-
lomæi d ab Angelo, aliorumque
dicentium nec esse veniale. Cui
sententiæ multum favet Sanchez,
e, Castropalaus f & Sa, g & hoc
quidem sic habet, *sacra tangi à laicis*

C §

sine

a Suar de Euch. d. 81. sect 8. § 4 ad-
dendum Castrop. to. 2. tr. 7. d. 2. p. 4.
n. 6. alique. b Suarez, Coninch. more
citandi alique. c Suar. in 4. distin. 30.
qu. 2. art. 3. §. Sed circa hoc queritur.

d Barth ab Ang. de miss. Dial. 5. §.
121. e Sanch. lib. 2. in Decal. c. 43. n.
27. fin. f Castr. to. 2. tr. 8. de ador. d.
1. p. 6. n. 24. g Sa V. sacra n. 3.

sine contemptu, aut nullum peccatum est, aut levissimum. Hæc ille in impressione genuina: nam scio in expurgata a sic legi, sacra tangi à laicis sine contemptu, non est peccatum mortale. Scio, inquam hoc, sed ego cum voco Emanuelem Sà, ipsum vocari, & legi non alium volo.

Suarez, *b* Coninch, *c* aliique, qui in tali contactu peccatum veniale cognoscunt, octo textus pro se, ad id probandum adferunt quos ad verbum hic exscribere, & explicare juvat, ut nimirum veluti manu palpemus, ibi, de hac re, nec mortalem, nec venialem obligationem imponi. Neque sic brevitati nostræ injuriam facimus, licet enim viatori etiam festinanti, si spes lucri reluceat, ad aliquantulo longiorem viam, non nihil aliquando divertere.

Præ-

a *ibid* *b* *Suarez disp. de sacr. 81 sect. 8. §. tertium exemplum*

c *Coninch de sacr. q 83. art. 3. d. 3. n. 249.*

Primus Textus ex dist. 23.

13 **S**acratas Deo foeminas, vel Monachas, sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa. Altare deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem, qua omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli recte sapientium dubium est. Quamobrem huius Sanctae Sedis auctoritate hac omnia vobis refecare funditus, quanto citius poteritis, censemus: & ne pestis hac latius divulgetur, per omnes Provincias, abstergi, citissime, mandamus.

14 Ubi vides Primo, locutionem esse solum de foeminis monachis, cur ego prohibitionem ad omnes extendis? Secundo, mihi probabilissimum fieri, non loqui, hic, Pontificem, de mero sacrorum vasorum contactu, sed de illo, qui adhibebatur, dum foeminae ministrabant Sacro, quod merito sem-

per Canones prohibuerunt, & tamen alicubi monachæ, prætextu quod essent Deo dicatæ, Sacro ministrare non dubitabant. Quando igitur dicitur in textu (*Monachas penes vos sacra vasa contingere, & incensum circa Altare deferre perlatum est*) illud (*circa altaria*) cadit supra (*contingere*) & supra (*deferre*) ita ut, uno verbo, perlatum fuerit, Monachas circa Altare Missæ inseruire. Conjectura optima est, quia id appellat Pontifex pestem: & quidem citissimè abstergendam, at quæ pestis tanta est, merus contactus Calicis, qui per eisdem nostris adversarios judicatur res omnino venialis & levis; Non ita sceminas ministrare circa altaria; ipse enim mulieris aspectus, facile inficit ad malum propensos hominum mores: nam propterea nomine pestis meritò vocanda fuit; tanroque rigore vitanda est, ut potius in necessitate concedatur. Sacerdotem sine ministro celebrare, ut

infra

infra dicemus, a quam ministrante, circa Altare, muliere.

Textus Secundus ex eadem dist. 23.

C. non oportet 1.

15 **N**on oportet Subdiaconos licentiam habere in Sacrarium sive in Secretarium (id est Altare, habet hic Glossa) quod Graci Diaconium appellant, ingredi, & contingere Vasa Dominica.

16. Vides Primo, id tantum prohiberi per verbum (non oportet) quod non notat præceptum, sed convenientiam ex communi b sententia. Secundo, sermonem esse de ministrando circa Altare, ait enim textus (ingredi in altare, & contingere vasa) Tertio hunc Canonem vel usu, vel ex aliis ordinationibus jam abrogatum esse. Quis enim

C 7

nunc

a Infra l. 2. c. 7. §. 5. b Suar. l. 5 de leg. c. 5. nu. 10. Sanch l. 6 in decal. c. 4. n. 37 Castrop. tom. 1. rr. 3 de leg. d. 1. p. 9. num. 2

nunc negabit Subdiacono circa Al-
tare assistere, & sacra vasa tracta-
re? Subdiacono, inquam, cui pro-
pter hoc ipsum, datur in sua ordi-
natione Calix attingendus.

Textus Tertius ex eadem d. 23.

C. non oportet 2.

17 **N**on oportet in sacros mini-
stros licentiam habere in Sacra-
rium, quod Græci Diaconium appel-
lant, ingredi & contingere vasa Domi-
nica.

18. Vides, hunc textum esse fe-
re eundem cum præcedente? So-
lum enim, ibi, loquitur de Subdia-
conis, hic de in sacris, hoc est, ut
habet Glossa, de personis non sa-
cris, atque adeo de laicis, nam et-
iam prima tonsura insigniti, sacri
a appellantur apud Canones, ut-
pote, jam clerici, de sorte Domini.

Sensus
a Castrop. tom. 2. tract. 8. disput. 1. de
Adorat. p. 6. n. 24. citans Suarium &
Canones.

Sensus igitur est ministros laicos non convenienter inservire sacro, quod tamen, saltem quo ad Missas privatas, consuetudine jam abrogatum est; quia ubique locorum, laicos ministrare, æquo animo, & sine ulla incidentiæ specie, immo, quando, qui ministrant, sunt viri nobiles, cum laude, passim videmus.

Textus Quartus ex eadem dist. 23.

C. non liceat 1.

19 **N**on liceat, cuilibet ex lectoribus, sacra Altaris vasa portare, nec aliis nisi iis, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

20 Nota illud (*portare*) quod Gloss hic, Hugo, & Archidiaconus explicant portare in processionibus publicis, & dicunt ea vocari vasa sacra, in quibus continentur sacre Sanctorum Reliquiæ. Sed quoad hoc esse ipsa consuetudine revocatum hunc textum, doce

ce

et Sanchez *a* Quare licebit hodie tum lectoribus, tum laicis ea portare; prorsus sicuti iisdem laicis, sine scrupulo, portare in processibus Cruces licet. Quod si Sacrorum vasorum nomine intelligas Calices, Patenas, &c. sicut intelligit idem Sanchez, *b* adhuc nota textum dicere (*portare*) non (*contingere*) ex quo conjicimus non esse sermonem de simplici contactu, sed de illo, qui addit gestationem, quæ solet fieri intra ministerium sacrificii. At jam diximus num. 9. id intra Ministerium sacrum, comperere ex officio solis constitutis in sacris, & ad summum, Acolithis: nos autem, hic, loquimur de contactu, extra Ministerium sacrum.

Textus

a Sanchez lib. 2. in De cal. cap. 43. nu 26.

b Sanchez ibid.

Textus Quintus ex eadem dist. 23 C.

Non liceat. 2.

21 **N**on liceat cuilibet Ministeria tangere nisi Subdiacono, aut Acolitho in Secretario vasa Dominica.

22. In Secretario, inquit Glossa, hoc est, in loco, ubi sacra vasa ponuntur, ne fit contra id, quod supra negatum fuerat Subdiaconis, dum, ut vidimus num. 15. dictum fuit in c. non oportet 1. non oportere Subdiaconos licentiam habere in Secretarium ingredi, ubi eadem Glossa voluit, nomine Secretarii, significari Altare. Sed melior est explicatio eorum, qui fatentur in uno Canone ex his idem concedi, quod negatur in alio, id tamen fuisse diversis temporibus, pro ut res, & circumstantiæ tunc exigebant; verum, quantum facit
ad

a Suarez de Euch. d. 81. sect. 8. §. Tertium exemplum.

ad nos, vides; hic, non agi, de simplici contractu, sed de contractu in Secretario, hoc est, de eo, qui adhibetur, dum ministratur sacro qui solum constitutus in sacris & Acolythis competere ex hoc eodem Cap. Non liceat, 2. docuit Suarez à nobis allatus num. 9.

Textus Sextus ex dist. 1. de Consecr. C. in Sancta.

23 **I**N sancta hac Apostolica Sede statutum est, ut sacra vasa, non ab aliis quam à sacerdotibus. Dominoque dicatis contrectentur hominibus Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant aut ab aliis, quam Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus presumptionibus, iratus Dominus plagas imponat populo suo, & hi etiam, qui non peccaverint, mala patiantur aut pereant, quia perit Iustus suppissime pro impio.

24. Nota illud (contrectentur) idem

idem enim est, ac illud, quod paulo post dicit, (*tractentur*) sensus ergo erit, vasa hæc sacra, non debere tractari, seu inservire in profanis usibus: id, quod longe diversum est ab eo, de quo hic disputamus. Confirmatur ex illis verbis (*humanis usibus serviant*) & ex illis (*ne pro talibus presumptionibus iratus Dominus &c.*) quod certe significat aliquid multo gravius, quam sit simplex, purusq; contactus: significat enim gravem illum contemptum, quo sacris vasis, ad usum profanum, quis uti præsumit.

Textus Septimus ex eadem dist. de Consecr. C. vestimenta.

25 **V**estimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus, aliis in usibus non debent frui quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacerdotibus, ne ultio, quæ
Balda-

Baldassar Regem percussit, super hac trās-
gredientes, & talia presumentes, veniat,
corruere eos faciat ad ima.

26. Hic Textus, qui non loqui-
tur de vasis solum, sed etiam magis
explicite, de vestimentis, quoniam
bene explicatur ab ipso Suario, sa-
cis pro nobis erit, ejus hic explana-
tionem proferre: In C. Vestimenta
(a inquit) loquitur Stephanus Papa ge-
neraliter de vestimentis Ecclesiasticis, qua
neque ab aliis debent contingi, aut ferri
nisi à sacris hominibus. Quae verba aut
praecipuum non continent, quia illud ver-
bum (non debent) non videtur in ri-
gore significare obligationem, sed decen-
tiam quandam, aut non intelliguntur de
quolibet tactu, sed de illo, qui ordinatur
ad profanum & communem usum, ut ex
antecedentibus potest non obscure colligi,
vel certe si admittamus ibi praecipuum,
dicendum est in desuetudinem abuisse,
quoad hanc partem, Hæc pro nobis
Suarez.

Textus
a Suar. de Euch d 81. sec. 8. §. Tertium
exemplum.

Textus

27 A

probo
luxur
steriiHi
in ord
so lit

At

hac d
quibu
pront
esse s
cto co
nosce

I C

a Su
Bonae

Textus Octavus ex eadem dist. 1. de Consec. C. Ad nuptiarum.

27 **A**D nuptiarum ornatum divina mysteria non præstentur; ne dum improborum contactu, pompaque secularis luxuria polluantur, ad officia sacri mysterii videantur indigna.

Hic, sermonem esse de contactu in ordine ad usum profanum; ex ipso litteræ aspectu satis pater.

Atque hi sunt à Suarez, aliisque hac de re contra nos citari textus; quibus accuratè inspectis, meritò, pronunciare potuimus; probabilem esse sententiam, nullum in prædicto contactu veniale peccatum agnoscentem.

§ II.

Lotio Sacrorum.

Certum a est Corporalia Purificatoria, & similia lavari,

à Suar. Coninch. Reg. aliisq; passim apud Bonac. de Euc. d. 4. q. ult. p. 10. n. 22.